

Melanthon,

Oratio.





XVII, 503.











402  
*(de Virtute Philosophiae)*

**ORATIO**  
**PHILIPPI MELANTHO-**  
**NIS PRONVNCIATA**  
cum decerneretur gradus Ma-  
gisterij quibusdam doctis  
& honestis iuue-  
nibus.

An. M. D. XXXVI.

XVII 503



3.  
ORATIO PHILIPPI ME-  
lanthonis pronunciata, cum decerne-  
retur gradus Magisterij, qui-  
busdam doctis & honestis  
iuuenibus.

S P E R O M O R E S M E O S  
ita vobis omnibus inspectos & no-  
tos esse, vt facile persuadere possim,  
me non impudentia aut fiducia ingenij,  
aut πολυπραγμοσύνη aliqua has mihi di-  
cendi partes iterum sumpsisse. Nam  
cum mandaret eas mihi vir optimus la-  
cobus Milichius, Decanus Collegij no-  
stri, qui propter egregiam virtutem, ac  
studiorum & plurimorum officiorum  
societatem, mihi carissimus est, moue-  
bar quadam officij ratione, vt morem  
gerendum esse amici voluntati existi-  
marem. Neq; ego sum adeo Suffenus,  
aut ridicule mihi placeo, vt ignorem  
ple rosq; alios in hac schola esse, & natu-  
ra magis idoneos, & doctrina melius  
instructos ad dicendum, quam ego  
sum, quibus profecto laudem ingenij  
& eruditionis largiter tribuo. Sed no-  
lui uideri morosior in recusando, cum  
hanc operam a me homo amicissimus  
flagitas





flagitaret. Verum nolo vti longiore excusatione. Nam opinior mores meos satis probatos vobis esse. Et hæc sunt præcipue ex eo genere, in quo valet versiculus, τὸ πρὸς ἔσθ' ὁ πειθῶν τὸ λέγοντος, ὁ ὑ λόγος, qui ait, mores dicentis persuadere non orationem. Est autem optimo consilio institutum, vt in his pompis, aut de studijs, aut de laude virtutum dicatur. Quare vt argumentum conueniens, huic loco afferrem & aliquid de dignitate & vtilitate harum artium, quas Philosophia profitetur, dicerem, institui orationem, in qua ostenderem Ecclesiæ opus esse liberali eruditione, & non tantum cognitione grammatices, sed etiam aliarum multarum artium, & Philosophiæ scientia. Quod cum ita esse statuemus, etsi aliæ causæ ad dicendum inuitant, tamen bonæ mentes in hunc finem præcipue, & acerrime intueri debent, vt studia adiuuandam & ornandam Ecclesiam referant. nihil enim bonis dulcius Ecclesiæ nomine, nihil ea carius esse debet. Hæc causa maxime hortari, & excitare nos debet, vt summa contentione ani-

A ij morum



morum expetamus perfectam doctrinam, ex qua ad rempub. & ad Ecclesiam utilitas aliqua peruenire possit. Nec vero nobis præceptoribus dignior est oratio de vlla re alia, nec bonis & studiosis quicquid utilius est, quam animo finem, & quasi metam honestissimi cursus prospicere, ad quam referre sua studia debent.

Ad hæc artium ipsarum dignitas & vis non alibi magis conspici potest, quam si videamus, quantum opus sit illis in Ecclesia, quantis tenebris obruat inscitia religionem, quantam vastitatem, quam horribiles dissipationes Ecclesiarum, quantam barbariam, & confusionem totius humani generis pariat, Hæc si quis considerabit, ita demum existimare poterit, quanta sit artium ac doctrinæ vtilitas & magnitudo.

Etsi autem nulla oratio par tantis rebus excogitari potest, tamen cum ab imperitis sæpe ferantur de hac re prauæ opiniones, adolescentes monendi & præmuniendi sunt, quod quanquam in scholis fit a præceptoribus quotidie, tamen oratio, quæ hoc loco habetur publico



blico nomine plus autoritatis habere debet. Est enim omnium doctissimorum virorum in hoc confessu communis sententia, quam contemnere profecto fuerit arrogantissimum. Quare cum & necessaria reipub. & vobis salutaria dicam, & hæc mea vox communem omnium vobis sententiam exponat, peto ut me pro vestra humanitate diligenter audiatis & admoniti non tantum sicut Vlyssis focij Sirenas obstructis auribus præteruecti sunt, ita vos eorum inepta iudicia, qui non putant Ecclesiæ admodum opus esse liberali eruditione fugiatis. Sed illos ipsos tanquam teterrimas pestes & dira portenta execremini. Deinde acuat & excitet discendi curam, quod studia vestra ad Ecclesiam, ad rempub. pertinent, nec tantum ex illis priuata utilitas & voluptas petitur.

Primum enim omnino ilias malorum est inerudita theologia. Est enim confusanea doctrina, in qua magnæ res non explicantur diserte, miscentur ea que oportebat seiungi, rursus illa quæ natura coniungi postulat, distrahuntur,

A

iiij

Sæpe



Sæpe pugnantia dicuntur, vicina arripiuntur pro veris ac proprijs. Postremo tota doctrina monstrosa est, & similis illi picturæ apud Horatium, Humano capiti ceruicem pictor equinam lungere si velit, & varias inducere plumas. Nihil in ea cohæret, non initia, non progressiones, non exitus cerni possunt. Talis doctrina non potest non gignere infinitos errores, infinitam dissipationem, quia in tanta confusione alius aliud intelligit, & dum suum quisquæ somnium defendit, existunt certamina, & dissensiones. Interim conscientia relinquuntur ambigentes. Et quia nulla Erinnyes vehementius cruciant animum, quam hæc dubitatio de religione, tandem odio quodam abiicitur vniuersa religio, & fiunt mentes prophanae & Epicureae.

Cum igitur tantum habeat mali inerudita Theologia, facile iudicari potest, Ecclesiae opus esse multis magnis artibus. Nam ad iudicandum, & ad recte & dilucide explicandas res intricatas & obscuras, non satis est nosse hæc vulgaria præcepta grammatices, & diale-



& dialecticæ, sed opus est multiplici doctrina. Multa enim assumenda sunt ex Physicis, multa ex Philosophia morali conferenda sunt ad doctrinam Christianam.

Deinde duæ res sunt, ad quas comparandas opus est magna & varia doctrina, & longa exercitatione in multis artibus, videlicet methodus & forma orationis. Nemo enim fieri artifex methodi potest, nisi bene & rite assuefactus in philosophia, & quidem in hoc vno genere philosophiæ, quod alienum est a Sophistica, quod veritatem ordine, & recta via inquirit & patefacit. Qui in eo studio bene assuefacti sibi parauerunt, reuocandi omnia ad methodum, quæ intelligere aut tradere alijs cupiunt, hi norunt etiam in disputationibus religionis informare methodos, euoluere intricata, dissipata contrahere, obscuris & ambiguis addere lumen.

Magna & copiosa doctrina ad alteram rem, scilicet ad formandam orationem opus est, vt norunt omnes vel mediocriter versati in literis, Sed

A iij vt



vt hanc <sup>ἔξω</sup> methodi informandæ no-  
bis comparemus, non minore studio  
opus est. Nec potest hæc contingere  
re ijs, qui non assuefiunt in pluribus  
philosophiæ partibus, in quibus qui  
non exercentur, etiamsi attigerunt dia-  
lecticam, tamen tantum vmbra[m] quan-  
dam methodi consequuntur. Nec  
alii sæpius viciosa & Sophistica colli-  
gunt, quam isti. Cumq[ue] se artifices me-  
thodi esse putent, tamen via deerrant,  
& sunt vt Homericis verbo vtar,  
ἑλαόσκοποι. Porro non tantum pro-  
pter methodum, seu vt Plato vocat,  
ἀνάγκη λογιστικῆ, opus est phi-  
losophia, Sed vt ante dixi, etiam multa  
assumenda sunt Theologo, ex Phy-  
sicis, vbi ea est singularum partium ra-  
tio, vt his, qui solidam doctrinam ex-  
petunt, non satis sit pauca quædam ex-  
cerpere, sed ars integrâ, quantum fie-  
ri potest, cognoscenda est. Magno  
instrumento destitutus est Theologus  
qui nescit illas eruditissimas disputatio-  
nes, de anima, de sensibus, de causis  
appetitionum, & affectuum, de noti-  
cia, de voluntate, Et arroganter fa-  
ciet,



ciet, qui se profitetur dialecticum, si  
nescit illas causarum partitiones, quæ  
traduntur tantum in Physicis, & in-  
telligi non possunt nisi a Physicis. Om-  
nino est orbis quidam artium, quo  
inter se deuinctæ copulatæq; sunt om-  
nes, vt ad singulas percipiendas, multa  
ex alijs assumi oporteat. Quare Ec-  
clesiæ opus est toto illo doctrinarum  
orbe.

Non opinor quenq; adeo, insul-  
sum esse, vt non animaduertat, eos  
qui instructi sunt Philosophia morali,  
multas partes doctrinæ Christianæ fœ-  
licius tractare posse. Nam cum multa  
sint similia, de legibus, deq; politicis  
moribus, contractibus, & multis vitæ  
officijs, adiuuamur, non solum ordine,  
ac methodo in Philosophia, sed etiam  
rebus ipsis diligenter perceptis. Et si  
qua sunt dissimilia, multum lucis adfert  
collatio. Porro vt claudus pilam te-  
net, ita Philosophiam moralem tra-  
ctat is, quem Physica destituunt. Iam  
historiæ, temporum exacta supputa-  
tio, requirunt Mathematicen. Sed  
& hæc pars cum Physicis coniungen-  
da est.

A v da est.



da est. Inde enim velut ex fonte plera-  
q; in Physicis oriuntur. Et barbaries  
quædam est, vt nihil aliud dicam, con-  
temnere illas pulcherrimas artes, de  
motibus syderum, quæ nobis annos, &  
temporum discrimina conficiunt, &  
multas res maximas venturas denun-  
ciant, nosq; vtiliter monent.

Nec ego ignoro aliud doctrinæ ge-  
nusse Philosophiam, aliud Theolo-  
giam. Nec ego illa ita misceri volo, vt  
confundit multa iura coquus, sed ad-  
iuuari Theologum volo in œconomia  
methodi. Multa etiam mutuari eum ex  
Philosophia necesse erit. Si quis huic  
orationi non habet fidem, is consideret  
indoctorum Theologiam, & apud se  
reputet, an expedire existimet orbi ter-  
rarum talem confusaneam, Sophistic-  
cam, ambiguam Theologiam inuehi  
in Ecclesiam. Et indoctos voco non so-  
lum rudes literarum, vt sunt Anabap-  
tistæ, sed etiam illos ineptos, qui cum  
magnifice declamitent, tamen certi ni-  
hil dicunt, & quia ad methodum non  
sunt assuefacti, & quia fontes rerum  
non satis tenent, propterea quia cum  
in Phi



in Philosophia non sint instituti, non  
satis videant, aut quid Theologia pro-  
fiteatur, aut quatenus cum Philosophia  
consentiat.

Nihil opus est hic veteres illos re-  
censere, qui doctrinam Christianam  
insulsissimis argutijs penitus obrue-  
runt. Eruditam Philosophiam re-  
quiro, non illas cauillationes, quibus  
nullæ res subsunt. Ideo dixi vnum  
quoddam Philosophiæ genus eligend-  
um esse, quod quam minimum ha-  
beat Sophisticæ, & iustam methodum  
retinet. Talis est Aristotelis doctrina.  
Sed huic tamen aliunde addenda est,  
illa præstantissima Philosophiæ pars, de  
motibus cœlestibus. Nam reliquæ  
sectæ plenæ sunt Sophisticæ & absur-  
darum & falsarum opinionum, quæ  
etiam moribus nocent. Nam illæ hy-  
perbolæ Stoicorum sunt omnino So-  
phisticæ, bonam valetudinem, opes,  
& similia non esse bona. Commen-  
titia est & ἀπάθεια. Falsa & pernicio-  
sa opinio de fato. Epicurus non Philo-  
sophatur, sed scurratur, cum affirmat  
omnia casu extitisse, tollit primam cau-  
sam,



sam, & dissentit in totum a vera physico-  
sicorum doctrina. Fugienda est & Aca-  
demia, quæ non seruat methodum, &  
sumit sibi licentiam immoderatam omnia  
euertendi, quod qui facere student,  
hos necesse est multa Sophistice colligere.  
Quandò is qui ducem Aristotelem  
præcipue sequitur, & vnã quandam  
simplicem ac minime Sophisticam doctrinam  
expetit, interdum & ab alijs  
autoribus sumere aliquid potest. Vt  
enim musæ cum cantu certassent cum  
Sirenibus, easq; vicissent, ex pennis earum  
coronas sibi fecerunt, ita & in se-  
ctis, etsi vna maxime probanda est, ta-  
men interdum ex alijs aliquid veri de-  
cerpamus, quo nostra sententiã ornetur.

Sed de genere Philosophiæ &  
sectarum discrimine alias dicendum  
erit. Mihi ad mores etiam conducere  
videtur, eligere sectam, quæ studium  
habeat, non rixandi, sed inquirendæ  
veritatis, deinde quæ amet moderatas  
opiniones, non captet plausus indoctorum,  
præstigijs disputationum & absur-  
dis sententijs. Harum rerum consuetudo  
pessima est, & qui eam ad sacras li-  
teras ad-



teras afferunt, sibi vero ingentes pro-  
cellas cient. At hæc simplex philoso-  
phia, de qua dico, primum hoc studi-  
um habet, ne quid affirmet sine demon-  
stratione, ita facile effuget absurdas  
opinionem, quia hæ non habent demon-  
strationes, sed tantum præstigijs So-  
phisticis defendentur.

Postremo in vniuersum propter  
hanc causam etiam conducit Ecclesiæ  
eruditio, quia indocti sunt & audacio-  
res & negligentiores. Doctrina fre-  
num iniicit, & ad diligentiam assuefa-  
cit. Multa enim eruditio in mentem ve-  
niunt, quæ sunt vicina illi causæ, de qua  
est pronuntiandum, vident, quæ facile sic  
labi ac decipi, & in alijs artibus assuefa-  
cti sunt ad quærendos fontes negotio-  
rum ad explicanda illa quæ videntur  
obstare. Et abeunt studia in mores, qua-  
re hæc ipsa diligentia, quæ in inquisiti-  
one ponitur, gignit modestiam. Porro  
audacia cū negligentia coniuncta, quan-  
tum afferat periculi, omnium ætatum  
exempla, in omnibus ciuitatibus & in  
ipsa ecclesia ostendunt, quæ ab indoctis  
temere ruentibus, & antea sæpe dilace-  
rata est,



rata est & hoc tempore crudeliter dilaceratur.

Itaque vos optimi auditores primum adhortor, ut cogitetis studia vestra vere ad rempub. & Ecclesiam pertinere. Nam doctrinae puritas & concordia, salutem & concordiam hominum, ac praecipue Ecclesiae conseruat. Deinde vos propter gloriam Dei, quam anteferre omnibus rebus debemus, deinde propter Ecclesiae salutem, quae nobis debet esse charissima, obtestor, ut has optimas disciplinas, quas Philosophia continet, conseruandas esse statuatis, & in eas maiore studio incumbatis ut solidam doctrinam vobis, & vtilem humano generi comparetis. Epaminondas interrogatus quid ei in vita iucundissimum accidisset: respondit, Inde se maximam voluptatem coepisse, quod viuus parentibus liberasset seruitute patriam, victis ingenti praelio Lacedaemoniis. Testatus est enim utrunque sibi maximam voluptatem attulisse, patriae salutem, & parentum laeticiam, quam illis attulisset filij victoris virtus & gloria. Utinam sic erga Ecclesiam affecti  
simus



simus, vt hanc summam voluptatem  
ducamus, videre florentem & tranquil  
lam Ecclesiam, quæ verius est patria,  
quam illud solum, illi penates, qui nos ex  
ceperunt nascentes, & præstare, vt Ec  
clesia, hoc est, coelestes angeli, & vniuer  
sus coetus piorum, quem vt parentes ve  
rerè & amare decet, ex nostris benefa  
ctis solidam voluptatem capiant. Econ  
tra nullos cruciatus acerbiores esse sta  
tuamus, quam videre Ecclesiam dissi  
patam, & quidem nostris cupiditatibus  
coniectos angelos & coetum piorum in lu  
ctum ac dolorem. Non dico hic de præ  
mijs, decet enim nos virtute ipsa moue  
ri, debent apud nos valere Ecclesiae car  
itas, & ratio officij, quod Deo debetur.  
Sed tamen non defutura sunt etiam præ  
mia recte discipulis. Deus enim inquit.  
Glorificantes me glorificabo. Et si su  
mus Christiani, hac spe officium nostrum  
facere debemus, vt sentiamus nos Deo  
curæ esse, ne egeamus nos & liberi no  
stri. Imo scitote nostra causa, non ty  
rannorum, non eorum qui pia studia  
oderunt, hanc totam rerum naturam  
a Deo conseruari, solem oriri, efficere  
temporum vicissitudines, vt agri fiant  
foecunda



fœcundi. Recte hoc Stoici, Omnia  
esse Dei. Philosophos autem esse ami-  
cos Dei, quare omnia etiam sunt Phi-  
losophorum. Itaq; ingenti animo hæc  
studia literarum colamus, & defendam-  
us, & in hac statione diuinitus coi-  
locatos nos esse iudicemus, eamq;  
ob causam & maiore cura fa-  
ciamus officium, & nostri  
laboris præmia a Deo  
expectemus.  
Dixi.

40





nia  
nis  
nia  
ec  
a  
le









29 4254

**ULB Halle**

3

003 895 343



m.c.







PH  
ZH

